



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

VIII. Decembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

Immaculatæ Virginis sine originali labe
Conceptioni sacer hic dies, teste S. Francisco
Ferrerio, Angelis parit gaudium, qui mundi
coelique Reginam primo conceptionis mo-
mento summâ veneratione coluerunt, & im-
mensa Dei dona in eam profusa gratulati sunt.
Oculi vitium est in speculo videre maculam.

Sanctissima Deipara per sanctissimæ con-
ceptionis tuæ, quam sine macula fuisse vel san-
guine subscribere paratus vivo, memoriam
te rogo, ut plenam mihi peccatorum omnium
veniam impetres, ne tot vitæ meæ scelera
conscientiam meam in agone discrucient,
aut in desperationem præcipitent. O San-
ctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego
N. indignissimus filius tuus ex toto corde,
omnibusque tam corporis, quam animæ vi-
ribus centies millies, imò infinities te salu-
to: te omni possibili &c. f. 190.

Ad quod imperrandum: quid vetat me
voto, saltem Devotionali, obstringere, me
asserendum Deiparam sine macula conceptam
esse.

Insciane fuit & impotens sapientia Dei &
virtus mundum sibi habitaculum condere,
remotâ omni labe conditionis humanæ? S.
Ans. l. de Conc. B. V.

Quæstio: An Festa Deiparæ Virginis etiam
in cælo ab Angelis & sanctis speciali memo-
riâ celebrentur?